

ME. Pol callide tu fabulare. Saepe homones optumi,
Quibus animus sane constans erat et pisticus,
Dabantur praecipites, quia suspicionem a se repellere
Studebant immeritam. At de me ludos operum facis.
Ecfundat iram in me licet sane calumnia,
Ecstator non tam curo hominum omnium sententiam,
Quam contenti animi testimonium. Nolo viderier,
Sed esse iustus atque accusent omnes me licet
Homones, sed non ipse memet accuso tamen.
Po. Salvos sit Metellus.

SCENA X


SEXTUS, AITALIA, SERANIUS, MUCIUS.

SEX. Evenit res male. — AT. Erravi, quom commovere consulem
Amorem caecum honestatis memorando nixa sum;
At quod sequutumst, animum illius demonstrat suom
Esse maiorem etiam amore honestatis. Hoc discas velim,
Serani, animi Romani magnitudinem. — SEX. Es locuta sic;
Quasi virum invidia permotus ille tuom velit
Manere captivom; credo, vix istuc obliscitur;
At praeterea in manibus eius est ulciscundi ratio.
AT. Non ita, Sexte. Perpusillum consulem esse iudicas,
Tamen qui more magnorum virorum rem ulcisci sciatur.
Ille iniicit mihi pudorem; non vindictam consulis,
Sed pertimesco virtutem. — SEX. Festinandumst mihi,
Quia nihil actum est adhuc. Ostende te ipsam patribus
Studeque commovere illorum misericordiam,
Nam instat hora mox huius rei decretoria.
AT. Parumst quietis ad istam rem formidabilem;
Ante mihi st animus capiundus; iam te subsequar.
Valeto, Sexte tu. — SE. Vale, Fortuna tibi faveat dea.

SCENA XI

PUBLIUS, AITALIA.

PU. Heu mater! — AT. Tene hic, Publi, nunc tantopere percitum?
Iam dice, quidnam ego peius etiam exspectem? loquere.
PU. Heu mater, adest. — AT. Quisnam? — PU. Ille ipsus: — AT. Mihi
[unus est vir, Regulus].
PU. Is ipsus est; meis his oculis vidi propriis.
AT. Magni di! adest! illum a te conspectum autumas.
(Ad proximum numerum).



Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)


Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII

Romae, Mense Iunio MCMXXXVI

Fasc. VI



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequas; *ante solvendum rectoque tramite* mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

SOPHOCLES ET SHAKSPERIUS TRAGICAE ARTIS ANTISTITES

Quid inter artem tragicam antiquam et recentiorem, vel potius quid inter Sophoclem et Shaksperium intersit, breviter explicatum mihi videtur in superiore huius ephemeridis numero. Sequitur, ut quae sint pares utriusque laudes paucis verbis persequar. Ac primum quidem hoc animadvertisendum est, neutrum quid de rebus propositis sentiat exprimere, ut saepissime Euripides; quare e tragoediis nihil de eorum vita et moribus colligere possumus. Neque minorem in tractanda materia Sophocles et Shaksperius praecaram artem exhibent. Sophocles enim, quum fabularum exitus commutare sibi non liceret,¹ locum tamen et dispositionem variavit. Nam in *Choephoris* Aeschyli et in Sophoclis *Electra* de eadem fabula agitur; utriusque unus est exitus, Clytemnestrae et Aegisthi nex. At quanta discrepantia inter utramque tragediam! Shaksperius autem, nulla lege impeditus, materia undique sumpta, magnam adhibuit libertatem in tragoediis componendis, ut in *Rege Learo* videmus,

cuius res gestae longe absunt ab illis, quas narrant antiqui Britanniae annales.

Pari autem laude cumulantur in personis effingendis; Oedipus enim rex, Creon, Ajax, Antigone, Philoctetes apud Sophoclem; Othello, Hamletus, Macbethus, Desdemona, Iulieta, Cordelia apud Shaksperium natura, indole et moribus sunt inter se ita dissimiles, ut singula unius cuiusque effigies in nostra mente penitus insideat. Praeterea actores primarum cum actoribus secundarum comparati magis eludent; quantopere enim Oedipodis iracundia a Creontis mira illa tranquillitate differat nemo ignorat, nec quemquam fallit quam perspicue Hamletus cum Horatio amico collatus emineat.

Quod autem ad rem metricam attinet, Sophoclei numeri fabularum rationi maxime accommodati sunt: lyrici enim versus motus et sensus, iambi alternos concitatos sermones, trochaici numeri mentis celeritatem mirifice exprimunt. Quam artem et Shaksperius adhibuit; qui numeris humili loco natos loquentes inducit, ut ianitorem in *Macbetho*, fossores in *Hamleto*, scurram in *Othellone*. Quin etiam ipsi primarum actores ad cotidianum sermonem descendunt, quum inferiores homines adloquuntur. Quae res quantum subtilitatis et veritatis fabulis conferat, nemo est qui non videat.

¹ Cf. ARISTOT., *Poet.* XIV, 5, p. 1453 B.

Verum ad dicendi genus veniamus, quod *stilum* grammatici appellant. In hoc quoque uterque praestantissimum artificem se praebuit. Sophoclem enim triplicem stilum habuisse testatur Plutarchus: ² primum tumidum atque inflatum, deinde nimis artificiosum, postremo simplicem, suavem, dulcem et ad hominum mores effingendos maxime accommodatum; quod genus ex omnibus fere tragoediis, quae exstant, adparet. Shaksperius quoque tria dicendi genera expertus esse videtur; is enim sententias et res primum diligentius expressit, deinde certis et propriis verbis, tum denique ita creber sententiis et compressione rerum est, ut verba fere deficere videantur. At interdum turpissimis utitur verbis; ³ quae, quamquam plerique exprobrant, tamen non sine arte aliqua usurpata esse videntur, quo clarius — uti opinor — res, comparatione adhibita, significarentur.

In facetiis autem per tragoedias serendis, quarum duo sunt genera, unum dicitatis, alterum notationis, quae est quum ex vi nominis argumentum elicitur aliquod ⁴ de hominum moribus, Shaksperius maxime excellit; Sophocles vero tantum facetiis, quae ex notatione sumuntur, usus est non sine aliquo lepore et venustate.

Quid autem dicam de *tragica*, quam appellant, *ironia*, qua Sophocles in omnibus fere tragoediis *severe ludere* videtur? Eius enim fabularum exitus spectatores antea cognoverant; at poëta mira sua arte ita responebat, ut aliter ac revera essent, se habere viderentur; ut ex tota de Oedipo rege fabula intellegi potest. Oedipus enim civitati gravi morbo laboranti, ut pater filio, se prodesse velle confitetur; Apollinis responsa a Creonte relata probat; gravissimis verbis Laii sicarium exsecratur; tamen ipse est morbi causa, ipse est Laii

D. T.

⁵ *Oed. Col.*, 16-18.

*Felix qui potuit boni
Fontem visere lucidum;
Felix qui potuit gravis
Terrae solvere vincula.*

BOETIUS.

² Cf. *De project. virtut. sent.* p. 79 B.³ Cf. *Rom. et Iul.*, III, 157.⁴ Cf. *Cic.*, *Top.*, VIII, 35.

sicarius; aliud denique Apollinis responsa significant! Quibus ex rebus tragica existit ironia. Quae quidem minime in Shaksperii fabulis deest; at non ita copiosa est quam in Sophocle. Neque id mirum; nam Shaksperius fabulas tractabat, quarum exitus pauci antea cognoverant.

Sed uterque summam artem in naturae amoenitatibus verbis exprimendis adhibuit. Quanta enim diligentia Sophocles nemus illud Eumenidum describat, quod « lauris, olivis, vitibus abundat: in eo autem per arbores lusciniae suaviter canunt », ⁵ nemo ignorat; suavissimum autem carmen, ne plura afferam, quo poëta Coloni sui amoenitates concinit, pictura proprie dici potest. Shaksperius autem non solum amoenitates naturae, sed etiam, uti in *Macbetho*, uti in *Iulio Caesare*, noctis caliginem, proceliae horrorem et fremitum describit. Uterque adeo fabularum exitum curat, ut hic ex intima rerum natura atque connexu erumpat, excepta Sophocles *Philocteta* tragoedia, in qua nodus « vindice divino » solvit; uterque personas usque ad fabulae finem servat, quales ab initio processere, uterque hominum sensus et mores, animi tempestates et mentis cogitata summa arte exprimit, uterque denique perfectus scriptor atque artifex. Sophocles igitur et Shaksperius, quamquam inter se dissimili, tamen non paucas laudes communes habent. Uterque vero, temporum ratione habita, perfectionis cumulum arti tragicae addidit et « monumentum aere perennius » sibi exigit.

D. T.

⁵ *Oed. Col.*, 16-18.

DE CRUCIS ET CAPITIS POENA CHRISTIANIS IRROGATA

Die Petro et Paulo apostolis sacra redente, nonnulla scribere placuit de mortis poena maximis illis Christianae fidei testibus irrogata, crucis nempe quae Petro, detruncati capitum (vulgo « decollationis »), quae Paulo.

Crux, ut notum est, teterrium fuit supplicii genus, cui servi vel infimi gradus homines subiacebantur. Per Christum nobilitata fuit et per Petrum, quem Origenes affirmat inverso capite fuisse ei affixum. Hoc profecto veri est simillimum, licet antiquiores auctores nihil de hoc innuant, ne Tertullianus quidem, qui Petrum dicit passum esse ut Dominus Christus, scilicet cruci affixum. ¹ Ceterum huiusmodi crucigendi rationis testes sunt Seneca et Iosephus Flavius: ille enim affirmat, ² se revera vidisse inverso capite crucifixos, idque Neronis tempore; iste autem narrat ³ a Romanis militibus ita Iudeos captivos cruci fuisse affixos ante muros Hierosolymae.

Initio saeculi II, Simeonem Hierosolitanum episcopum sub Traiano legimus crucifixum; ⁴ deinde initio saec. III praeter ea quae Iustinus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus passim scripsierunt, ⁵ haec in Minucio Felice invenimus, quasi ab ethnico viro in Christianos verba prolata: « Iam non sunt adoranda (vobis) crucis, sed subeundae ». ⁶ Cyprianus quoque loquitur de crucifixione veluti de supplicio usitatis-

simo. ⁷ Eusebius denique, sollemnes poemas enumerans, quibus in ultima insectatione multati sunt Christiani, haec habet: « Ανδρες ἀνατλάντες πῦρ (vivicomburium) καὶ στόχηρον (animadversio per gladium) καὶ προσηγόρεις (cruci affixio), θῆρας τε ἄγριος (damnatio ad bestias) καὶ θαλάττης βύθους (submersio). ⁸ In vexatione hac magna, memoria minime dubia ad nos pervenit de pluribus fidelibus hoc supplicio afflictis, inter quos Claudius Asterius et Neon, Timotheus et Maura coniuges, ⁹ qui, alter versus alterum quum essent crucifixi, se invicem sustentando contra sitim, somnum viriumque defectionem, novem dies in vita perdurarunt. ¹⁰

Ut e scriptoribus colligere licet, crux generatim alta non fuit, ut plerumque representatur: « Crux — ait Tertullianus — cum antemna... sua et cum illo sedilis excessu »; ¹¹ sedile scilicet qui ad fignum cruci damnatum inserviebat. Hinc est etiam quod in *Actis Ss. Timothei et Maura*, Mauram legimus ipsammet se ad crucem dispositus, ut ad illam ligaretur; idque explicant verba *exsilire, excurrere, inscendere, ascendere crucem*. Dixi: « ut ligaretur »; nam non erat communis mos ut clavis cruci figeretur damnatus; quo in casu parum vivere potuisset, sed ad summum dies duos. De parva crucis statura illud quoque est argumentum, quod a canibus et lupis cadavera e crucibus pendentia non raro laniabantur. ¹²

Crux denique suppedaneo videtur exstructa fuisse, licet auctores de eo non

¹ *De hab.*, 6: « Quando... cruces... patitur »; *De bono patientiae*, 12: « Bestiae, ignes, crucis, omnia poenarum genera preferenda ».² *Hist. Eccl.*, VIII, 14, 13.³ *Passio Ss. Timothei et Maura* in *Acta Ss.*, Holland., I maii, p. 376.⁴ *Acta sincera*, ap. RUINART, p. 281.⁵ *Ad nat.*, 1, 12. — Cfr. etiam IUSTIN., op. cit., 91 et IREN., *Contra haeres.*, II, 24, 4.⁶ APULEIUS, *Met.*, XI, 32: « Sustinebit patibuli cruciatum quum canes et vultures intima protractant viscera ». — Cfr. MANETHO, IV, 197.

satis perspicue loquantur. Monumenta parvam afferunt huic quaestioni lucem; si duas gemmas excipias (corneolas) crucifixum praeseferentes, quae tribus primis Ecclesiae saeculis a nonnullis adscribuntur. Earum altera Christum refert terram pedibus tangentem; altera vero et crucem parum elevatam et subpedaneum exhibit; ambae autem de damnatorum nuditate testantur. Sunt qui dubitent num gemmae istae revera Christum crucifixum repraesentent; sed inconsulto; nam in altera legitur: *IXΘYC*, et in altera: *EHCOXPECTOC* (*Ἵησοῦς Χρεστός*). De aetate potius esset quaestio instituenda; cui vero non est hic locus.

In ceteris monumentis crucifixum non appareat, nisi saeculo sexto ineunte; sed exempla huius aetatis recentiora sunt quam ut aliquid certi inde conicere possimus. Restat nihilominus crucifixi notissimam illam contumeliosam et blasphemam imaginem quam Garrucci inter inscriptiones parietum Palatini stylo descriptas invenit; in qua non est dubium quin aliquid suppedaneo respondens conspici liceat.

Nec semper denique qui cruci affixus erat lanceae ictu conficiebatur; rarissime autem eius crura frangebantur.¹³

« Decollationis » seu detruncandi capitis supplicium non uno infligebatur modo, eratque supplicium nobilium Romanorumque civium.

More maiorum, Romae capitis detrunctionem verberatio praecedebat, quae plerumque non fiebat publice; damnatus aut pendens, aut ita alligatus erat, ut minime

pedibus consistere posset corpusque liber esset; secus post primos verberum ictus cecidisset. Ceterum variis modis in Oriente haec verberatio adhibebatur, semper tamen pariter ita, ut corpus rei percutiendi prorsus esset suspensum, neque se vertere posset. Ita Lactantius « Si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali quattuor stabant ad quos nullus unquam servus distendi solebat ». ¹⁴

Decollatio fiebat per gladium (numne honoris causa?); ascia, ex legis praescripto, adhiberi non poterat, neque instrumentum ullum aliud.¹⁵ Reus aut flexis genibus, aut ad palum columnam applicatum percutiebatur. Nonnulla documenta de re existant, ut pictura in domo Caelimontana decollationem Crispi, Crispiniani et Benedictae referens. Ex non paucis picturis coemeterialibus quae etiam nunc supersunt id certo colligere licet: Christianos de industria martyrii repraesentationes vitasse, ideoque nihil eiusmodi ante saec. IV apparere.

Aliud monumentum, Damasianae fortasse aetatis, aliam praebet decollandi rationem: reus erectus, manibus retro in vinculis, ad columnam applicatus apparebat, ictum exspectans. Quum ibi de martyrio S. Achillei agatur in fragmento columnae sculpto, primum est conicere alteram adfuisse columnam quae martyrium S. Nerei (illius in vita et in morte comitis) exhiberet.

Multi Christiani hoc detruncati capitis subierunt supplicium iam inde a saeculo I, quo Pauli prima memoria occurrit; deinde recensentur Flavius Clemens consul, omnesque viri illi nobiles, in quos Domitianus

¹³ ORIG., in *Matth.*, serm. 140 (MIGNE, P. G., XIII, 1793): « Non iussit... percuti sub alas corporis... quod faciunt aliquando qui condemnant eos qui in maioribus sceleribus sunt inventi ». — Cfr. etiam *N. Bull. d'arch. crist.*, an. 1907, p. 97 et seqq., ubi plura de hac re habentur.

¹⁴ *De morte persecut.*, 21. — Graeci et Romani columnae alligare soliti erant qui verberandus esset (Cfr. HYPERID., ap. Poll., 3, 79: *Κρεμάσας ἐκ τοῦ κίνον*. — ARTEMID. *Oneirocrit.*, 1, 78: *Ἀποοδεθεῖς κίονι, πολλὰς ἔλαβε πληγάς* — PLAUT. *Bacch.*, 4, 7, 25: « Adstringite ad columnam foriter »).

¹⁵ ULPIANI, in *Digest.*, XLVIII, XIX, 8.

crudelissime saeviit;¹⁶ saeculo autem II Iustinus eiusque socii et discipuli, plures martyres Lugdunenses, martyres Scillitani, Apollonius senator, aliisque; saeculo III inter innumeros pariter milites Besa, foeminae Ammonarium, Meruria et Dionysia, Alexandriae; praeterea Xystus II pontifex cum quatuor diaconis, Felicissimus et Agapitus item diaconi, Romae; S. Cyprianus episcopus, Montanus et Lucius, Carthagine; Marianus eiusque comites innumerabiles.

Innumerari etiam capite praecisi sunt in ultima Christianorum insectatione, in qua magistratus ad hoc supplicium recurrisse videntur non propter personarum qualitatem, sed quod expeditius ageretur, praesertim quum multi necandi essent;¹⁸ itaque flagellatio tum omittebatur, quippe quae in Actis authenticis minime commorebatur. Saeculo III obsoleuisse credendum est.

In Aegypto autem, iure contrario non obstante, etiam securis ad decollandum adhibita est;¹⁹ qui quidem supplicii modus non ita ab illo differebat more, qui medii, quod dicimus, aevi tempore, nec non ultimis ante Gallicarum rerum turbationem saeculis, apud omnes fere Europae populos viguit.

Circa decollationem S. Xysti II eiusque diaconorum nonnulla demum notanda occurunt. Decollatio quoque « animadversio » vocabatur, ac proinde animadvertere etiam capite damnare significavit; itaque decollatio a Pontio diacono « ictus solitae animadversionis » nominatur. De huiusmodi significatione nullum potest esse dubium, si verbis quibus S. Cyprianus mor-

¹⁶ DION. CASS., LXVII, 13. — Ad hos martyres Apocalypsis illa videntur alludere: « Vidi subtus altare animas interfectorum; in textu graeco « animas decollatorum: ψυχάς τῶν ἐσφαγμένων (VI, 9). — Cfr. SUETONIUS, *Domit.*, 15.

¹⁷ Vide eorum *Acta* ap. RUINART.

¹⁸ EUSEB., *De mart. Pal.*, 9.

¹⁹ EUSEB., *Hist. Eccl.*, VIII, 12, 1.

tem Xysti II nuntiavit²⁰ attendatur: « Xystum autem in cimiterio animadversum sciatis VIII id. august. die, et cum eo diaconi quatuor ». Quum autem certissime constet de S. Xysti II morte per capitis amputationem, verba etiam edicti Valeriani clarescunt ab ipso S. Cypriano relata:²¹ « Episcopi, presbyteri et diaconi incontingenti animadvertisuntur ».

Ceterum idem verbum et ius romanum habuit, ut ex illo Ulpiani²² patet: « Animadvertis gladio oportet, non securi ».

S. S.

ARRHAE TRIUMPHALES

D. PETRO APOSTOLORUM PRINCIPI

I

LAURUS

Vincit mundum Fides nostra.¹
(Io. Ep. v, 4)

Arida tot praeter vivorum rudera vivam
Sculptus si argento nummulus usque tegat
Cor Signo Regis, cui Te spirare revinctum
Iussit, Petre, Fides, Crucis et altus amor;
Vox unde orta est, qua iamdudum buccina clan-

[gens]

Nomenti ad clivos currere iussit acres
Cruciferos pedites, quando inter saucia lauros
Centurio occubuit, victima prima, Tibi.²
Toto nam Petriana est Crux in corde sepulta;
Sanguinis at guttas vulneris ore gemit
Nummisma orbatum signo, heroemque susurrat
Sublimen divum iam tenuisse sedem;
Nectunt dum lauri mortis vitaeque coronas
Quis mundi victrix cingitur una Fides.

¹ Ep. 80.

² Loc. cit.

³ Digest., XLVIII, 19, 8, 1.

⁴ Titulus aenei numismatis Petrianae cruci circumscriptus pro militibus Romani Pontificis in bello Umbro et Piceno a. MDCCCLX.

⁵ Arthurus de Veaux, centurio in I^a cohorte velatum voluntariorum Romani Pontificis.

II

ANNULUS

*Fides sperandarum substantia rerum.
(Haebr., XI, 1).*

Quantis quotve aderant, maiorum flamine sancto,
Neri iuxta aras agmina ducta choris,
Arsit cum caelis ac nostras pronuba vitas
Aurora excivit, vinxit et una Fides?
Ut mollis lunae blanditiae littora risu,
Flammea sic sponsae me prope vela mican;
Sanguinis at nostri grandaevo vivida fluctu
Una Sacramentum iugia verba vovent;
Hymnos quae cordis geminant, spatioseque echo
Vitae ultra ac mortis limina cuncta trahit.
Sed Tu caelorum, species pulcherrima visu,
Miras iam pandis, Sancte Philippe, vias,
Auri dum gemino terraeque polique nitori
Annulus innectit, quos sacer ardet amor.

III

IMPERIUM

*Tu autem Fide stas...
alioquin et tu excideris.
(Rom., XI, 20-22).*

Hymnis noctu cur resonat quassata marinis
Paci sacra oleae per nova saecula coma?
Moenia cui incumbunt, duxit quae grandia fato
Spes olim David, nec minus alta Fides?
Siccine tempus adest? Non Caesaris undique si-

[gna

Imperia atque ruunt? En age, Nata Sion!
Rursus scande aram: repetunt tua templam colum-

[bae

Plus mille, aërios quos reliquere nidos.

Aequora quot naves sulcant, quot carbasa caelos
Findunt, Iordanis tantus ad ostia fit

Unda equitum peditumque camelorumque tumultu-

[tus

Quantum non vidit Madian ipsa dies!¹
Quid? Tibi sic aquilas, sic reddit Roma secures
Sic Christo lauros, annulum et imperium.

Romae, III Kal. Iul. MCMXXV.

IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI.

¹ Cfr. ISAIAE LX, 4-6, 8.

**DE FONTIBUS IURIS ITALICI
LINEAMENTA HISTORICA¹****AETAS NOVA.**

Diduci solet Aetas Nova a saeculo XIV ad XIX, a novis detectis in orbe terris ad Gallicam omnium rerum eversionem, a «statibus» ad «nationes», a principatis ad libertates populares, a iure communi ad iura singularium nationum, ab Imperatore ad Regem. Monuimus iam quantum inter se subsequentem aetatem a superiori non disgiungere; transitus enim gradatim et lente fieri solet et, generatim, prius in populi vita, dein in litteris et arbitris, demum in iure. Ita societas feudalis, vel, si mavis, «feudalis politica» orta est sub Merovingiis, evoluta autem saec. X-XII; ius vero feudale evolutum expolitumque postea; ita etiam libertates municipiorum (*communales* vulgo appellantur) exordia in Italia habent saec. XII, quum nondum nec ubique evanuerint feudi; ius autem commune maxime viguit postquam imperium nonnisi nomine stare coepisset et ad Germanicos tantum populos contractum, seiunctis in libertatem et Gallia et Italiae civitatis.

Barbarorum illuviones stiterant atque latini cultus nativam progressionem praepediverant: Ecclesia una potuit eos excollere, mansuefacere, simul cum Latinis commiscere atque in vitam novam omnes excitare. Tum tandem renovantur rei romanae studia; tunc, relaxatis etiam imperii vinculis, libertas quaedam renascitur, vetusta municipia romana pristinæ gloriae memoriam refovent, viresque recuperant, in Italia cum primis, unde procul aberat Imperator, et in Anglia; germinant tum primi civitatum flores, quos foecundant

¹ Cfr. fasc. sup.

multi generis adiuncta ex ordine oeconomico ac sociali tum in urbibus, cum etiam ruri, ut feudalis societas in «communalis», et postea in «nationalem» erumpat libertatem. Primum ex ordine oeconomico. Regimen feudale «feudarium» quasi dominum feudi efficit, in quo omnia continet ipse sua manu, suo arbitrio; quod si societati primae ac prope barbarae accommodatur, dissonat a culta, ut erat romana, ut post Carolingios erat christiana; nec favet, imo nocet quam maxime rei oeconomicae progressioni: itaque haec sensim emancipatur, ut feudarius ipse, sano quidem consilio, eisdem favere cogatur, immunitates hic illic largitus, civitatibus maxime ubi magis mercatura floreret. Hae igitur civitates certa quadam iam libertate fruuntur ex indulitis feudatarii, ex moribus, quae postea *Statutis* consignabuntur.


Praeterea mercatores et opifices, ne a feudariis et Imperatoribus opprimerentur, sensim et quasi clam in corpora conflari coeperunt, quibus, quum adolescenti, feudarii atque Imperator ampliora in dies non potuerunt non largiri aut agnoscere privilegia, immunitates atque libertates. Quae opificum et mercatorum corpora, religione arteque insignia, nucleus primus existere unde mox sunt *Communia* urbana; nucleus, inquam, libertatis eo amplioris recuperandae contra Imperatorem, cuius vox iam extinguebatur, et contra feudarios, qui, quum obsistere non possent, eo ampliores concedebant favores; quin imo non raro effecerunt, ut iidem *Communium* quasi suscitatores atque patroni viderentur.

Adde quod Crucesignatorum bella novas aperuerunt commerciis vias, nova libertatis studia vel in humilioribus, qui quantopere possent noverant et quanti a nobilibus aestimarentur, quum eorum opera magis esset necessaria. Denique, irruentibus barbaris, ruricolae omnes ad civitatem, ad monasteria, ad ecclesias confugerunt, illis-

que adhaeserunt; hisce tandem terroribus superatis, post quinque amplius saecula, cooperat populus eo frequentior ad agros redire, cui latifundos necesse fuit concedere colendos, aedesque vicosque nova novaeque conductiones agrorum, novi ruricolarum nuclei, novi agrorum domini, qui sensim una cum corporibus urbanis in administrationem urbis inseruntur accedentes episcopis, expostulantes et saepe maturantes novum rerum ordinem. Hunc recusavit in Italia Imperator, sed cladem passus est; benignior indulxit in Germania, foedusque Germanici imperii ipse composuit et rex.

Regimen feudale hoc habet proprium, ut simul commisceat elementa regiminis; distinctio enim quae inter Romanos aptius definita fuit atque expolita, gentibus Germanis ignota erat; ignota igitur et feudariis, qui omnia sua manu continebant: Communia distinctorum urgent praecipuum trium elementorum: Rex, Nobilitas, Populus. Rex, antea dux bellicos, postea, quasi praeses feudorum foederis, fit magis magisque supremus publicae rei moderator, *Monarcha*. Feudarii regimen absolutum paullatim amittunt; contendunt ut priuilegii saltem aut divitiarum nomine ac dignitate sanguinis ceteris praecellant, regimen teneant una cum rege, et in Germania verum regimen tenent sui feudi; sub Imperatore tamen feudi liberi status fiunt eiusdem Imperii; feudarii maiores fiunt principes sui quisque status, et sensim absorbent minores. Populus firmat sua corpora mercatorum, opificum, artificum etiam liberalium et contendit ad politicam vitam participandam.

Tria haec elementa evolvuntur simul et ad novam graduntur unitatem socialem atque civilem, quae primum apud Anglos componitur. In Anglia enim anno 1215 edita *Magna Charta*, Rex, Nobiles atque Populus simul convenient in re publica gerenda; quae unio atque conspiratio anno



1264 per *Statuta Oxoniensia* firmior facta est.

In Gallia Rex ad feudatarios proprius accedit quam ad populum: feudatarii potenter nobilitatem efformant, amplissimis privilegiis cumulatam; populus vix aut ne vix quidem publicum participat regimen; at tandem praevalet, ordinemque rerum veterem revolvit, ut novum condat.

In Germania feudatarii pro viribus Imperatori obsistunt et suo quisque in territorio praestat; populus suo adhaeret feudatario, quocum, Germanico more, pactum statuit, quo foedus fit Status: Imperator impos acquiescit, hoc uno contentus, ut Germanici novi status in foedus quoddam coalescant, cui ipse praesit: praeminet magis honore quam vero imperio.

In Italia res non eodem modo procedunt; nam in regione Pedemontana et Tridentina feudatarii potiores facilius flunt, ut in Germania, veri principes, et non raro una cum germanicis principibus adhaerent Imperio. In reliqua Italia lucta ardet inter Imperatores et Pontifices; illi adhaerent plerumque feudatarii, his vero populus; sed ecce feudatarii in nobilitatem umbratilem evanescunt; populus magis magisque firmatur, et, Imperatore superato atque fugato, Communia libera constituit civitatesque illas quasi parvos status, qui simul Italicae gloriae et ruinae fuisse; gloriae quidem, quippe ad recuperandam libertatem quasi lapides milii exstiterunt; ruinae vero quia, quum non essent politico vinculo alius cum alio sociati, facilius Monarchiae externae cedere potuerunt, foede contendentes de re non sua, misere afflictantes Europae regnam, avide venerandos thesauros praedantes, animam latinam atque romanam turpiter corruptentes, sacrilego ausu Pontificem atque Apostolicam Sedem non semel violantes.

In Hispania eadem rerum progressio

bello adversus Arabes nonnihil impeditur: religio christiana unit, impellit, sustinet; tandem Christiani disiiciunt Arabes, parvaque exoriuntur Christiana regna, ut Navarre, Aragoniae, Castiliae, etc.; inter quae eminuit atque crevit regnum Aragoniae, quod sub finem saec. XIII Siciliam occupavit, postea etiam Siciliam et Neapolitanum regnum usque ad saeculum XVIII.

SYLVIA ROMANI.

COMMUNIA VITAE

De diversis animalium vocibus.

Abhinc aliquot dies apud amicissimum meum, mihiique iucundissimum eloquio virum, Crispinum, pransurus ibam in Esquiliis, quum in via, globus hominum ante oculos fuit, haerens obseratae ianuae emporii cuiusdam. Visurus quid rei esset, accessi. Intus multisonae animalium voces toto ore strepebant, quasi inter se dentibus, ungue, rostro pugnarent. Loci dominus dum aperire maturat, pacem impositurus bellantibus, clavem in foramine fregerat, atque cliduchus advenerat, totaque nitebatur arte, uti portae ferramenta laxaret, aditumque daret hero opus urgenti; quotquot enim intus vulnera furiantes inter bestias discurrebant, totidem dominicae ferebantur damna crumenae.

Superis placuit; patuere tandem aliquando fores. Proh ridiculum visu! Simiae, quas illic in caveis dominus coactas habebat, sive dentium, sive manuum ope, sive utrisque simul cancellos fregerant, et liberae demum, qua imitationis pollent indole et vi, domini reponentis avium caveas quotidie exemplum sequutae, caveas medium in pavimentum demiserant modo subversas, modo dextrorum, modo sinistrorum inclinatas, cumulumque fecerant informem ex omnibus, ac dilabentes aquae

et cibaria per inferiores, volucrum familias vexaverant ac territaverant, unde strepitus illi et clamores incompti, quibus vox una indistincta perpetuo perstrepebat.

Pluribus auxilium ferentibus, herus primum simias, tanti mali causas, carcere coegit fuste mulctatas, frustra eiulantes sub scutica herili et eum impositis plagis transversa tuentes, nobisque irridentibus ridicule ringentes; postea caveas a solo ad pristinum et modum et ordinem reposuit.

Auribusne oculisque adhibenda fides? Tanti pax est! Ubi restituta sunt omnia, et suo quisque loco ex habitatoribus emporii illius redditus est, quasi recuperatae quieti ex condito hymnum canerent, elevare simul voces et pangere carmen insolitum, laeto sonans garritu volucrum, longeque aliud ab illo, quod nuper terror et incommoda a miseris extorquebant.

Parus hic, quem nos *cinciam* vulgo dicimus, « *tinninabat* », cycnus « *drensabat* » illic, « *bubiebat* » alibi bubo, alibi regulus, merops et progne « *zinziulabant* ». Humano more « *sibilabant* » meruli, « *trutinantibus* » turdis, quorum ingens ibi copia erat, ac sturnis composito et quasi in numerum « *pisitantibus* ». Quid ultra? Quasi ipse simiarum, non herus, victor exsistet, gallus, gloriosus, alas quatiebat, et gloriosior promisso collo et erecto capite totis pulmonibus « *cuccuriebat* », dum externa avis et perdix, « *gacabantes* » laetitia redditae tranquillitatis, cum humili quidem sed utili gallina, quae « *gracillabat* » inferius, colloquium ferme inire de praeteritis casibus videbantur. At ridiculus gravitate lenta et stupiditate superba pullus indicus, quem nos gallinaceum (gallice *dindon*) vocamus, permisis ad solum alis, inflatus, rubicunda galeae cartilagine insignis, adacto capite ad caudae pennas erectas et flabelli in modum expansas, mole sua huc, illuc ferebatur quantus erat, ac toto pectore « *gutturiabat* », dum tali commota strepitu « *ululat* » ulula, ac ter-

rita noctua « *cucubat* », diversa in parte « *crocitantibus* » corvis, et « *frigulante* » graculo, ac « *gloteranti* » ciconiae, et « *pupillanti* » pavoni « *plausitabant* » palumbes, « *gratitabant* » anseres, turturesque « *gemebant* ». Acredulæ, quae fastigium cavearum tenebant, « *mitilabant* », « *assonantibus* » palaris, quas *beccaccine patarene* dicimus italici vulgi more, palaropes vel falaropes animalium disciplina. In infimo autem « *gruebant* » in servitatem redactæ grues, et anates « *tetrinibant* », dum cupidis aspiciens oculis accipiter « *palpat* », « *clangente* » super omnes aquila, cuius tot circumdatae praedis siccii sunt desiderato sanguine et hepate et carnis rostrum et ungues.

At mihi repente est humero imposta inopina manus. Converto vultum: — O Crispine — inquam — huc te quoque rapuit curiosa indeles? — Mirum! — respondet — tu, qui tanto abes, hic ades, ego, qui domo adsum, abessem? — Tunc ego: — Ecquid videtur tibi de hac Babylonie vocom? — Optimum — reddit ille mihi. — Profecto si « *pipilarent* » hic passeris, atque « *garrent* », si « *cucularet* » cuculus, quem non video, si striges et vespertilia « *striderent* », quae et absunt, si gallinarum pulli « *quiritarent* » ac « *transarent* » hirudines, « *bombilarent* » apes, et cicadae « *fritinirent* », dicerem adesse nos conclavi arcae Noetiae, in quo volatilia continebantur. — Mox addidit: — At, nonne vides? Psittaci silentes non « *cairant* ». Afferam tibi silentii causam; saepe enim belluae rectius quam nos opportuna cognoscunt.

Et ego: — Dic, sodes, et maximus erit mihi.

Tunc ille: — Psittaci sciunt nunc non esse colloquii, sed prandii tempus, ideoque...

— Sequor te, amice — ipse dixi; et apud eum opipare pransurus discessi.

P. d. V.

MEDICAE NOTAE

De causa morborum.

Causa morbi alia est proxima, alia remota, alia coniuncta seu continens, alia antecedens, alia procataretica, quae antecedentem in scenam introducit.

Morborum caussae efficientes sunt sex res non-naturales, plethora, cacochymia, venena et peregrinus aether.

Sex res non-naturales sunt: aëris, cibus et potus, somnus et vigiliae, motus et quies, excreta et retenta, et animi pathemata. Dicuntur res non-naturales obscurum termino, quia corpus non constituunt, alias enim essent res naturales, neque si legitimate administrentur, noxam inferunt, sic enim res praeternaturales. Verum quia absque illis corpus conservari nequit, et si error aliquis in ipsarum regimine committatur, magna corpori accedit noxa, vocantur res non-naturales.

De aëre. — Definimus aërem cum Cartesio, — talem nobis suppeditante descriptione quae naturam aëris penitus exhaustit, id quod de definitione Peripateticorum nunquam dici potest, — quod sit « congeries particularum tertii elementi primo et secundo innatantium, cuius partes adeo tenues, et perpetuo motu a se invicem disiunctae sunt, ut singulis momentis motibus globulorum caelestium sive secundi elementi obsequantur, hinc semper manet corpus rarum, fluidum et pellucidum ».

Si itaque aëris et in motu et in missione rite fuerit dispositus, vi sua elastica sanguinis circulationem per pulmones promovet, et nimiam humorum rarefactionem temperat. Sin ab aethere nimium exagitetur, sanguinem quoque attenuat, humores exagitat et sensum caloris in nobis producit. Sin insignis eius portio versus unam aliquam plagam moveatur, excitat sensum frigoris, transpirationem sufflaminat, ob-

structiones inflammatorias producit, lympham restagnantem facit et acidum vel auget, vel foras reducit.

Quod si in atmosphaera nostra salia varii generis obvolitent, vel plures aquosae particulae aërem humidiorem reddant, varii generis febres, catarrhi, tumores, aliaque mala producuntur.

Haec autem peregrina corpuscula, vel ex globo terraquo ope calore solis, vel ignis subterranei evocantur, vel ex aliis halituosis corporibus supra terram existentibus aëri afflantur, quibus varius telluris situs, accessus et recessus respectu solis aliorumque vagabundorum lumen velificari solet.

De cibo et potu. — Uterque morborum ferax est, prout vel quantitate vel qualitate ventriculo et sanguini noxam inferunt, istius fermentum obruendo aut enervando, huius temperiem inquinando aut mistionem turbando. Nam qualis cibus, talis chylus: qualis chylus, talis sanguis; qualis sanguis, tales spiritus, talis lymphae, talia fermenta, talis sanitas.

Cibus qualitate peccans abit in mucum, aut pastam acidam viscidam, vel in liquamen sordidum et putrilaginosum convertitur pro qualitatis nempe et conditionis varietate, quae vel sola eadem generare poterit mala. Prodeunt ex hoc nido duae famosae cruditates et vitiosae digestiones, quarum una acida, altera « nidorosa » vocatur. Ex eodem fonte scaturiunt varii generis febres, status intumescentiae, obstruktiones sanguinis, cacochymia,¹ eius mistionis turbatio, succi nutricii depravatio, scabies, diarrhoeae, dysenteriae, etc.

Potus iisdem etiam modis valetudinem nostram insectatur, ipsamque oeconomiam animalem impugnat, praesertim si durante fermentatione vel distributione ingeratur, aut frigidus aestuantibus visceribus affundatur, ubi idem in visceribus sit, quod

¹ H. e. mali succi productio.

ferro ignito frigidae immerso contingere solet, hoc est inflammatoria obstructio producitur, et aether ante maxime agitatus, nunc superveniente obstructione omnia in vicinia turbat, et in tumultus ciet.

De somno et vigiliis. — Quum spirituum animalium officium inter alia sit, sanguinem ab extremis oris versus centrum premere, hi autem tempore somni sanguinis pressioni a centro ad superficiem resistant, quod cedere nesciant et fermentationes eamdem ob causam sint debiliores, luce meridiana clarus est, nimio in somno humores ad coagulationem disponi, spiritus animales et parcus generari et crassiores fieri, unde capitis dolor gravatus, catarrhi et lymphae visciditas totiusque torpor exoriuntur.

In nimis autem vigiliis spiritus atteruntur, in mistione turbantur, et in qualitatibus ratione volatilitatis depravantur: hinc febres oriuntur, languet digestio in primis viis, praesertim si spiritus studiis severioribus impendantur, unde sanguis tandem activis suis particulis exuitur, salia particulis terrestribus irretita non possunt volatilisari,² sanguis crassior, acidus aut foeculentus redditur, et ad scorbutum³ sternitur via.

De motu et quiete. — Quamvis motus intra mediocritatis terminos coercitus humorum itum et redditum promoveat, atque insensilem transpirationem conservet, utcumque tamen si nimium intendatur, fores quoque variis aegritudinibus pandit, praesertim si a nimio motu pori nimium resercentur, spiritus animales exagitentur, peregrina fermenta e visceribus excutiantur et sanguini confundantur, aut hic ob nimiam vasorum concussionem limites suos prævaricetur, et qua data via profluat. Sin vero cum fluida tum solida a nimio ocio torpescant, transpiratio sufflaminabitur, humo-

res circulantes restagnabunt in tubulis et praesertim in glandulosis canaliculis et vasculis excretoriis, unde variae sanguinis impuritates, affectus cutanei, aliisque morbi ab acido orti suos deducunt natales.

De excretis et retentis. — Si illa, quae excerni debent convenienti tempore, loco et mensura excernantur, magnum profecto corpori humano inde exsurgit praesidium. Verum si excernendo detineatur, aut retinenda excernantur, non possunt non variae inde excitari in oeconomia animali turbae, id quod in haemorragiis praesertim observari solet; quae si excedant, sanguinem profundunt, principia activa exhauiunt, calorem depauperant, et morbos vulgo frigidos dictos accersunt. Sin consuetae evacuationes suppressantur, gravissimis non minus morbis laxatur ianua, quales sunt hydrops, apoplexia, asthma, quartana, scabies, icterus, febres inflammatoriae, etc.

De passionibus animi. — Ante omnia videndum erit, quid sint passiones animi. Describuntur autem a philosopho quod sint « perceptiones, sensations aut commotiones animae, quae ad eam speciatim referuntur, quaeque producuntur, conservantur et corroborantur per aliquem motum spirituum animalium ».

E quibus palam fit ipsos spiritus animales in animi passionibus pree aliis fluidis affici. Verum quum in statu naturali sanguis premat atque urgeat spiritus animales, hique vicissim lympham et sanguinem, atque principales et perennes motus, pulsus nempe et respiratio, ab illis dependant, nemo erit qui non videat quam facile totum corpus in animi passionibus alterari et de statu suo deturbari possit, praesertim si ad insignes illas mutationes fluidorum, quae eas vel comitantur, vel a tergo sequuntur, mecum attendere velit.

Hinc in tristitia et moerore sanguis parciore corde emanat, cuius orificia quasi constricta tenentur, pulsus tardior est et

² Latini id per verbum « decoqui » significabant.

³ Vitium gengivae quum dentes decidunt. Plinius stomachacem appellat.

debilior, diaphragma uno sed lento tenore subinde deprimitur, unde suspiria et gemitus audiuntur: respiratio parva est et debilis, pallent genae, torpet lingua, pectus contrahitur, calor labascit, sanguis incrassescit, lympha redditur viscosa, paucioresque generantur spiritus et omnia fluida quasi in vappam vel acorem abeunt. Quippe ex spirituum defectu perit appetitus, chylificatio fatiscit, languent digestiones et praematurae senectuti, vel, qui cum hac in omnibus convenit, scorbuto, cardialgiae, melancholiae, tumoribus cancerosis inflammatoriis, vel etiam intermittentibus febribus, imo ipsi tandem sphacelo⁴ fores aperiuntur; de quibus consule praticos et experientiam.

In ira, sanguis cum spiritibus animalibus ceterisque fluidis contrariis veluti motibus agitatur et convellitur: hinc sunt bilis et succi pancreatici effusiones; supervenit diarrhoea, cor tremit vel palpitat, facies mox pallet, dein rubet, os spumat, talesque furibundis vel epilepticis fere sunt similes. Saepius sanguis in mistione turbatur et febris inducit: non raro humores circulantes rapidius circumacti, adiuvante solidarium partium vellicatione et concusione, peregrinum quoddam fermentum e foco aliquo, in quo diu sopitum iacuit, secum vehunt versus cordis thalamos illudque sanguini confundunt, quod mistionem eius turbando, varias producit effervescentias⁵ atque ebullitiones sive motus secundum omnes dimensiones, unde calor. Et multi ex ira corripiuntur variolis, aut alia febri maligna. Quod si spiritus animales a sanguine tali nimium pressi quoque in ordine suo turbentur, atque cum impetu ad partes extra cerebrum explodantur, accedunt illico motus convulsivi. Sin vero vel ipsa glandula pinealis contrariis eiusmodi

motibus concutiantur, aut spiritus nimium iam aucti, vel in placido et tranquillo per cerebrum discursu irritati, non amplius legitimam cursus servent formam, oriuntur deliria, ipsa mens quasi obruitur nec in se ipsam descendere aut super cogitationes et ideas inter se confusas reflectere potis est; hinc brutalis quandoque exoritur furor, et fertur equis auriga nec currus audit habenas.

De terrore nihil habeo quod addam, quum iam in vulgus notum sit, quae noxae inde et insidiae struantur et crudantur liquori cum vitali tum animali. Sic catamenia⁶ quandoque ex solo terrore sistuntur; sic terror fit pestis puerperarum; sic haemorrhagia narium compescitur, quando inscio aegro frigida cervici affunditur; sic singultum solo quandoque curamus terrore, quo tussim convulsivam curatam quoque dictitant. Et ex eadem caussa sanguis ceterique humores in vulneratis ad coagulationes admodum proni sunt.

WALDSCHMIDT.

ANNALES

Post Aethiopiam Italiae adiectam.

Aethiopiae tam subita submissio eiusque ad Italiam adiectio mirum quoddam fere omnibus visa sunt, ipsique Nationum Societati, cuius Concilio Italorum legatus in formis ea nunciavit; quum autem ibi adhuc et Aethiopum legatum sedere vidisset frustraque reclamasset locum iam ei amplius non esse, non minori quidem adstantium stupore recessit, neque a conventu solum, sed ab ipsa Geneva, Romam

⁴ A Gr. σφάκελος, morbus est quo membra emoriuntur.

⁵ Pro hoc verbo Latini habent aestum, fervorem.

⁶ καταμαίνομαι = insanio, desipio.

rediturus. Nihil itaque melius agendum populorum legati illa in urbe congregati putarunt, quam ut sessionem in mensem differrent; qua vero ratione factum est, ut sanctiones in Italiam irrogatae, quem plures abolendas esse censebant, quippe quae quum inutiles ad propositum consequendum evasissent, non leviora damna ceterorum populorum commercio intulissent, perdurent adhuc.

Ex parte sua Italia domini partes impavidè agens, civilem constitutionem Aethiopiae tribuit; eius territorium omne in quinque provincias distribuit, Erithreae nempe cum loco principe Asmara, Somaliae cum Mogadiscio, Ahmararum cum Gondar, Gallarum et Sidamorum cum Gimma, denique Harrar, singulis Praefecto proconsulari potestati imposito, sub Regis Vicario; vias aperit, nec minori alacritate commercia fovet, tribunalia ad iustitiam cuique triuendam constituit, latrones insectatur, qui uni arma nunc gerunt; nam dynastes omnes sive fugam capessiere, sive cum ipso Copticae Ecclesiae Summo Sacerdote, Italico regimini sese subiecerunt.

Sperandum utique est fore, ut apud Nationum Societates res componantur, bellicaeque nubes ita evanescant, quae non Europae tantum, sed universo orbi incendium minitantur, cuius tremendam vim nemini fas sit praevidere.

* * *

Seditiones, Rebelliones, Tumultus.

Neque favillae hīc illic desunt; imprimitur in Palaestina, ubi Arabes in Iudeos insurrexere cum hominum caede, teatorum excisione, rerumque omnium eversione, quam coercere minime valent Angli milites, quibus ordinem tueri mandatum fuit.

In extremo Oriente nova orta sunt certamina inter Iaponios et Sinenses, quorum gubernium Canton in urbe residens socium

Nanchini urbis vehementer excitat ad bellum aemulo populo indicendum.

In Gallia comitia quum Socialistarum factioni favorabilia evasissent, eorum arrogantia eosque statim pervenit, ut operariorum a laboribus desertiones officinarumque per vim occupationes longe lateque excitaverit. Videbimus si, quomodo, et in quantum novum administratorum collegium, cui Leo Blum praeest, qui inter primores factionis fuit, res continere possit.

In Hispania denique, quamvis ad reipublicae procurationem evectus sit Emmanuel Azana, qui, licet popularium candidatus, vir rerum tranquillarum studiosus et magni consilii fertur, dissoluta tamen disciplina in suo furore permanet.

POPULICOLA.

ROMA SACRA

Ex Suprema S. Congregatione S. Officii.

In concessibus Supremae Sacrae Congregationis S. Officii Eminentissimi ac Reverendissimi Patres rebus fidei et morum tutandis praepositi, recens damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda mandarunt opera, quorum tituli sequuntur :

Die xv mens. Ianuarii MCMXXXVI.
ERNESTO BONATUTI, *Pietre miliari nella storia del Cristianesimo*.

Die xix febriarii.
LUIS G. ALONSO GETINO, *Del gran numero de los que se salvan y de la mitigación de las penas eternas*.

Die iv martii.
PAOLO ETTORE SANTANGELO, *Lutero*.
ID., *Vita di Gesù*.
ID., *San Paolo*.

Die xx aprilis.
JOSÉ FRANCO PONCE, *Los misterios de las mesas parlantes y del soligrafón*.

Die vi maii.
GERMAN LIST ARZUIDE, *Practica de educación irreligiosa*.

Die xv iunii.
SAC. G. S. HUBER, *Vom Christentum zum Reiche Gottes*.
ID., *Weisheit des Kreuzes*.
Decreta ad rem emissam Ss. D. N. Pius Pp. XI singula approbavit, confirmavit et publicari iussit.

VARIA

Respublicas tribus modis solere imperium comparare.¹

Rerum antiquarum historiam observanti tres modi apparent, quibus Respublicae in universum usae deprehenduntur ad imperium comparandum. Ex iis primus est, quem Thusci adhibuere, qui inito foedere inter se, quo aequali dignitate eorum civitates comprehendenterunt, subinde plures in suam societatem dicionemque pellicebant, perinde ut faciunt aetate nostra Helvetii, et olim in Graecia Achaei atque Aetoli. Quia autem multum negotii fuit populo Romano cum Thuscis, hoc modo inter se confoederatis, explicanda est aliquanto copiosius hoc loco illorum Reipublicae ratio, de qua etsi historiarum monumentis nihil singulare proditum sit, novimus tamen quod ante tempora Romanorum Thusci potentissimi fuerint terra marique. Quorum potentiae argumentum est, quod in mare superum Atriam, Coloniam nobilissimam deduxerunt, ex quo Mari Adriatico postea nomen ex ipsa impositum, literae mutatione intercedente. Eorum imperii limites erant ab ima parte Tyberis fluvius, ab altera summae Alpes, quae Ita-

liam a Germanis dividunt. Sed cc annis tamen, antequam crescere inciperent Romani imperii vices, accepere a Gallis Thusci magnam cladem, qui Belloveso duce, sive necessitate quaerendarum sedum coacti sive loci fertilitate moti, superatis Alpibus, eam Italiae partem occuparunt, quam vocamus Longobardiam, et a suo nomine eam Galliam Cisalpinam nuncuparunt, expulsisque prioribus incolis, multas in ea civitates extruxerunt, quas posse derunt eo usque, donec ipsi quoque, Romana potentia domiti, pellerentur.

Haec erat Thuscorum imperandi ratio, comprehensis aequali foedere eorum civitatibus, quae duodecim numero erant, et Clusium, Veii, Fesulae, Aretium, Volaterra inter eas praecipue. Sed non potuere tamen illius ope, Italiae limites excedere, neque Italiam universam occupare, propter causas, quas postea commemorabimus.

Alter imperandi et acquirendi imperii modus erit, si civitati tuae plurimas civitates socias adiungas, ita tamen, ut tibi imperii nomen et potestas remaneat, cum ad suscipienda bella, tum in eos, quos sociorum auxilio deinceps occupare, et subiugere potueris. Quae ratio a populo Romano observata est.

Tertius, quo usi sunt Spartani et Athenienses: ii enim non socios sibi ullos adiunxerunt, sed quoscumque occuparunt, omnes sibi subditos fecere. Quae imperandi et acquirendi imperii ratio omnium imbecillima est, ut in iisdem hisce binis praestantibus Rebuspublicis apparuit. Neque enim tam cito, ob ullam aliam causam destructae fuerunt, quam quod Imperium, suis viribus maius, comparassent. Est enim res per se ardua atque difficilis imperare per vim, et iis praesertim, qui prius liberi esse consueverunt. Quod si ergo neque maximum habens civium numerum, neque socios adiungas, quorum auxilio imperii pondus sustinere possis, vix domare imperio tuo subditos poteris. Quum autem

¹ EX NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputatione ex prima decade T. Livii*, latine vertit H. BINDI.

Athenienses et Spartani neutrum horum fecerint, nemini mirum videri debet, si ineptam esse diximus eorum imperandi rationem. Romani utrumque fecerunt; nec extare puto memoriam ullius Reipublicae, quae tali modo imperandi usa fuerit. Quamobrem crevit etiam illorum potentia, plusquam ullius unquam Reipublicae. Multos illi sibi per universam Italiam socios adiunxerant, qui iisdem legibus ut ipsi viverent, exceptis imperii insignibus, quorum sedes Romae collocata erat; sed ita fiebat, ut iidem socii sensim suisque laboribus, semetipsos magis magisque populo Romano subiicerent. Nam postquam idem populus Italia egressus regna in provincias reduceret, neque ii qui victi essent difficulter parerent, quum alias sub regibus vivere consuevissent; neque praeterea a sociis, sed ipsomet populo Romano superatos esse putarent, nullum praeter populi Romani dominium agnoscebant. Quo factum est ut omnes socii, quicumque in Italia essent, a tot Romanorum provinciis, quae se eorum imperio plane subiecerant, et urbe munitissima ac potentissima oppressi, errorem suum tarde nimis agnoverint, quod nulla iam ratio esset eorum potentiae resistendi. Nam si qui illorum adversus Romanos coniurarent, brevi tempore opprimebantur, et ex sociis subditi fiebant. Hunc administrandi acquirendique imperii modum Populus Romanus observavit, nec ullus eo praestantior inveniri poterat, vel ipsa experientia attestante.

(Sequitur).

Formica.

Quam animantem formicam nominamus, eam fuisse quandam mortalem humani generis traditum est. Exercuisse autem agriculturam, in cuius assiduo studio et summa cupiditate vicinis et res et frumenta sub-

trahere clanculum soleret. Qui quum, ut fit, furi multa quotidie mala imprecarentur, motus tandem Iuppiter communi execratione, in animantem, quae, ut diximus formica nominatur, convertit furacem agricolam. Non tamen una cum specie mores quoque mutati fuere; nam formica nunc quoque rura frequentat, et alienos labores ipsa percipit atque recondit.

Fabula ostendit naturas pravas in omni fortuna varietate immutatas manere.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Crustula in bubulo iure vagantia.

Agninae costulae et offellae oryzinae frixae.

Minutal ex herbis.

Pectus vitulinum in furno assum, epitro conditum.

Fraga mulso confecta.

Locosa.

TUCCIUS in schola.

MAGISTER: — Unde extrahitur saccharum?

TUCCIUS: — Hercle! E sacchari sculo.

Postquam Magister diu lucis repercussionis phaenomenon explicavit, TUCCUM interrogat:

— Quid igitur evenit, o Tucci, quum lucis radius in aquae superficiem incidit?

TUCCIUS: — Profecto infelix aqua mergitur!

* * *

Aenigmata.

I

Me fac *pyrrichium*; cervos quot subdola capio!
Oppida forte habes, culmina, gramen, aquas.
Si vero *emollis*, adhibe mox pharmaca prudens,
Claudere ni exanimis tristia fata velis.

II

Parte priore rogare soles; sed *parte secunda*
Monstrare aut lentam carpere segnitiem.
Utraque mixta quid est? Divi suprema voluntas,
Quae regit et terras, et regit astra poli.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Ros-a*; 2) *Ala-uda*.

LIBRORUM RECENSIO

IOANNIS PASCOLI *Poemata Christiana*. — Studio del Prof. Giambattista Bellissima con prefazione di Giuseppe Lipparini.

Ioannes Baptista Bellissima ad nos misit eruditum sane libellum de latinis Ioannis Pascoli carminibus christianis, Bononiae typis Zanichellianis nuper editum. De officio deque munere multas habemus gratias; de auctoris diligentia ac doctrina damus debitas laudes; de re ipsa autem nolumus dicere rursus aut diutius post ea, quae ob acceptum aliunde simile donum aliquot abhinc menses in paginis huiusc ipsius commentarii abunde scripsimus. Nequimus tamen praeterire silentio auctam illam in dies, quam scriptor annotat, Pascolio poëtae, maximeque latino, lectorum laudatorumque cohortem, densaque magis magisque agmina alumnorum asseclarumque.

Additum immo libenter pandimus animo nostro non parum gaudii ob dictam melius doctis undique calamis laudem, quam poëtae nostro dare non dubitavimus, ut Vergili fratri seu alumno principi, seu soboli dignissimae omnium. Id ipsum enim aperte asserit in praemissa libello praefatiuncula Ioseph Lipparinus, idipsum Ioanni tribuit in primo libelli limine Auctor, ut latino scriptori post Augusti aetatem omnium maxim.

Et sane: Pascoliana musae sacra vis non aliunde est, nisi ex illo Christi ac Romae nexu unde, sive italicis versibus sive latinis, tota eius

copia orta fuit. Ut igitur haec una caussa Romanum imperium in Christi ditionem extendit longe latissimam, ita latino sermoni non tantum servando, sed vel augendo vel ditando per longa Romanae Ecclesiae saecula opem contulit, qua nulla potior. Unde non est mirum eiusdem conubii apparuisse rursus inopinatam nobis ubertatem in Ioannis nostri poëmatibus maximeque latinis, eamque bene auguralem novae omnium gentium plenitudini, qua undique per omnia inventa properante, Romanae rei renovatio inita fuit, non secus ac totius humanitatis.

I. A. C.

LIBRI DONO ACCEPTI

ANTONINO DISTEFANO, *Ricreazioni di latino*. II^a edizione ampliata. — (Augustae Taurinorum editit Societas Editrix Internationalis. — Ven. lib. 6).

LEOPOLDO POGLIANI, S. *Giovanni Bosco educatore* (Per i maestri e gli studenti degli Istituti magistrali). — Augustae Taur. typis I. B. Paravia. — Ven. lib. 3,25).

FRANCESCO STANCO, *Epitome di Cultura fascista*, ad uso degli alunni del 2^o e 3^o anno di latino. (Augustae Taurin., typ. Societatis Editricis Internationalis. — Ven. lib. 4).

DR. FRAY JENÖ, *Florilegium Patristicum in usum inventutis studiosae*. Fasc. I: Excerpta ex S. Augustini Confessionibus. — (Budapestini, A cath. középiskolai tanáregyesület kiadása, 1933).

ACS KÁROLY, *Id.* Fasc. III: Excerpta ex opere S. Ambrosii de officiis Ministrorum (Indidem, 1934).

Id. Id. Fasc. IV: Ex S. Hieronymi epistolis (Indidem, 1935).

D. D. ANACLETUS TRASSI, *Carmina singulis quibusque metris Horatianis respondentia, adiecit alii carminibus*. — (Nicolaus Zanichelli editit Bononiae, MCMXXXVI. — Ven. lib. 15).

GIUSEPPE FAVARO, *Leonardo da Vinci nella poesia Latina*. (Mutini, ex Societate Typographica Mutinensi, MCMXXXVI).

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen., Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Meast gravis fortuna; gutta nam dolore acerrumo
Unaquaque lacrumarum alte descendit in pectus meum
Et animus dolet, sed illae non possunt siccari,
Ut ne postillac omnium fusae labantur lacrumae.
AT. Mox omnes lacrumabunt, ni Romanorum fortissimus
Vir liberetur; iam si Karthaginenses viderint,
Fundentur certe lacrumae. — ME. Mulierem pudica maxume
Decet modestia. Cave sis facias temet iudicem
Tam procaciter viris de Romanis fortissimis,
AT. Ecastor vix adducor, ut credam Metellum invidia
Gestire permotum iam summovere Regulum.
Vir sane magnus es, Metelle, et pol debent ii,
Qui vere magni sunt, alios magnos esse praeter se pati.
Heus tu consul, tuos tibi metus omnino falsus est:
Namque ille civium minume invidens est plausibus,
Cito qui ipsius obliviscetur. — MA. Pol non ita.
TU. Ne tu pol aquam frigidam suffundis subdole.
SE. Nos Reguli ut obliviouscamur! animum cives attendite:
Num vos boni illius civis obliviouscamini? — PO. Nunquam gentium.
AT. Ecastor illi nulla stat columna ex marmore,
Quae gloriam illius seris ostendat posteris,
Non illum sequuntur musicae soni aut taedarum ardentium
Lumen, quom stipatus cluentium catervis ex convivio
Quasi triumpatator domum bitit. Istuc Duilium decet,
Non Regulum, placidum virum, qui in animo suam gerit
Sublimitatem, qui se cunctis civibus similem putat,
Suam qui cum cunctis dextram coniungit comiter,
Qui nullum principatum, verum amorem desiderat.
Vos ipsi verba facite, cives. — MA. Ille est vir bonus.
SE. Edepol semper paratus ille ad consilium fuit.
TU. Nam verba fecit in tribunali pro oppressis civibus.
AT. Mihi credas velim, Metelle, nunquam ab eo obscuraberis.
Magna fecisti facta; praeterea centum advexit beluas.
Si tale monstrum per viam grassetur stlembis passibus
Et si tum vir magnus loquatur ille Regulus,
Plebs unum id clamitet: «Spectate, cives, bestiam
Beneque contuemini: Metellus istas advehit;
Sunt praeterea undecentum. Vir Metellus magnus est.»
Sic clamet plebs, solus stet destitutus Regulus.